

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

D.Georgio Spalatino M.Ioannes Marcellus S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

D. Georgio Spalatino M. Ioannes  
Marcellus S. D.

Hic adolescens aliquandiu usus est disciplina mea, ubi cognoui eum singulari diligentia uersari in studijs literarum, & moribus optimis fr. editum esse. Neque uidetur ei deesse ingenium ad grauiora, quibus olim Reipublicæ uel Ecclesiæ presidio esse possit. Nam postquam à me discessit, egregiam accessionem suis studijs fecisse uidetur, et pietatem et doctrinam religionis Christianæ colit ex animo. Sed quoniam præ egestate diutius hic ægrè potest herere, rogauit me, ut se tibi commendarem. Nam au diuit apud uos interdum uacare conditiones scholasticas: in quibus se cupit exercere, si daretur occasio. Et nouit ipse, eximiam esse de tua doctrina & pietate opinionem, non tantum apud me, sed etiam apud magnos uiros. Itaque mallet, si fortè locus daretur, apud uos in schola seruire, quam alibi. Peto igitur illius adolescentis causa, ut, si potes ei esse adiuuamento, ut consequatur scholasticam conditionem alicubi apud uos, commendatum esse sinas. Ac omnino confido, te rectissimè collocaturum in eo beneficium tua. Spero enim eius ingenium & modestiam usui fore aliquando Reipublicæ uel Ecclesiæ. Et quoniam tanti te facit, ut debet & solet, spero te ex eius erga te obseruantia & gratitudine olim dignum fructum percepturum. Ego certè, si cum inueneris,

iuueris, magnum cumulum accepisse putabo ad ea beneficia, quibus iam olim abs te sum affectus. Et ego fretus tua erga me humanitate, cum adhuc essem apud Mutianum Gotthæ, libentius nunc ad te scripsi. Bene uale. Pridie Augusti. Anno 1542.

D. Leonhardo Fuchio medico, Philippo Melanchthon S. D.

*Philh. Am. XII, 636*

Et propter ipsam rerum noticiam, et propter posteritatem, gaudeo crescere tuos hortos, longè a-macniores et utiliores Hesperidum hortis. Quis enim non lætetur rerum naturam fieri notiore, cuius consideratio mentes ad uirtutem et philosophiam flectit, et multa uitæ presidia ostendit. Erudient autem et posteritatem hi tui hortus, quia plantarum nomenclaturas et figuras optima fide tradis. Quare gratiam et tibi Respublica debet, et passim boni et prudentes hunc tuum honestissimum laborem laudant. Eisi autem optatim eum candorem esse ingeniorum, ut bene meritis honos haberetur, et *αἰσίου μὲν ἄνευ* sine liuore et sine maledictis emendantur: tamen uetus est illud,

*ἔχ' ὄντα γοῦν ἐλὼνδ' βέλτερον ἀλλόλοισ.*

Vidi libellos contra te editos, et ingenui, ut puelle flosculos in hortis decerpunt, et sine odio certant inter se, ut quælibet sua coronæ thoros uenustissime distinguat et ornent: ita nos in collatio-